

ille. Ergo à Deo, ergo prodigium, ergo formidandum. Quasi uerò non multa à natura sint, quorum naturã nescimus, & statim ignorata rei vi, sit verum, eandem esse contra naturam. Et quæ sunt à Deo supra omnem naturam, sint mox hac vna de caussa mala, horrẽda, prodigia, infauista. Credo equidem esse multos qui putent, nihil à natura, nihil à Deo, nihil à casu fieri posse, nisi eo cõsilio, vt mox ab homine intelligatur, ac de eo disputet, & ludũ aperiat. Vides necessitatem de hac re differendi. Queramus accuratè quid Astrologi affirmant, deinde quid nimis ipsi Theologi metuant, & plebi, alijs etiam qui non sunt ex plebe, metuẽda dicant. Sed prius videbo, an possim vtrique scholæ timoris huius partem aliquã detrahere, casu hoc inducto à vero non abhorrente. Aegyptum statuamus in Italia, præsertim in maritimis Thusciam nostræ. Nec pluias, nec fulmen homo audiuerit vnquam, vt volunt scriptores, nunquam pluere in Aegypto. Nec tamen legerit, aut ab aliquo audiuerit quid ista sint. Videat homo in agro ambulans vel apricans celo sereno, ac tranquillo, obscurari actutum aerem, ac tegi nubibus cœlũ: cernat fulguralibus omnia splendere & accendi: mox ab vmbra & caligine cuncta occupari. Tum ad fulgura, cœlicq; ardores accedat fragor tonitruũ, & stridor ventorum, qui mare, ac terram, siluasq; annosas quatiant & perturbent. Videat præter hæc ruere nimbos ingentes, & annes ex montibus torrentes deuolui, fulminibusq; tremendis augusta templa turesq; tangi, ac dirui, quid Aegyptius in tanta naturæ perturbatione non mali timeat. Hæc esse vera portenta, hæc prodigia, hæc mōstra secum reputabit. Naturam omnem iam iam pessum ire dicet, actum esse de tam pulchra vniuersi machina nõ dubitabit. At verò Italus, vel rusticus hæc ridebit. Vidit sæpe aliàs. Naturalia scit ista esse. Expectat à tempestate ferenum, & maiori etiam post illos motus cum voluptate. Videant ergo rerum nouitatem plurimum in animo imperitorum posse. Neq; vllum esse hominem quamuis pru-

*Casus facilis*

*Stupor ex nouitate*

pru-